

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA IN EPISCOPORUM ORATORIIS ASSERVANDA

(D I C T A M E N)

Mota est apud nos quaestio de episcopis, an eis scilicet sanctissiman. Eucharistiam in privato episcopalis domus oratorio asservare sine apostolico indulto liceat.

Aliis in finibus, affirmative respondendum visum est mihi. Meum autem assertum sic probari posse arbitrabor.

I. *Ex "Codice Iuris Canonici":*

"Sanctissima Eucharistia custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in oratorio semipublico domus pie". Ex canone 1.265, 1, 20.

Episcopi autem, et oratorium est in casu semipublico, et domus est pia. Quod quidem unum et alterum sic probatur:

a1. Quod episcopis oratorium sit in casu semipublico, sic constat:

b1. Ex canone 1.189: "Oratoria Episcoporum, licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semipublica gaudent".

b2. Ex canone 1.188: Oratorium semipublico est locus divino cultui destinatus in commodum coetus fidelium eo convenientium, ita tamen ut illud adire non cuique sit liberum. Sane eiusmodi oratorii semipublici notio oratorio vere congruit quod episcopus in domo episcopali erigat forte pro sua familia, clericis et laicis composita.

a2. Quod vero episcopi domus sit pia domus, ex sequentibus recte efficitur:

Pia domus ea est quae ad pietatem aut misericordiam exercendam deputata est. Vel, ut sapientioris utar verbis: "Pia domus ea intelligitur quae instituta est ad cultum religionis quomodolibet fovendum, vel ad caritatem christianam in proximum exercendam" (CAPPELLO).

Domum autem episcopi esse domum religionis et caritatis ita evincitur:

b1. Ex iuris praescripto:

c1. Iuxta canonem 1.483, 2, domus episcopalis impensis mensae episcopalis est sustentanda, ex beneficio nempe ecclesiastico; bona autem ecclesiastica, quae scilicet ad personam moralem in Ecclesia pertinent (can. 1.497,